

Author: Doni, Giouanni Battista
Title: De Musica Sacra
Source: Firenze, Biblioteca Marucelliana, MS A.292.5,
f.<1r>-<9r>

[-<f.1r>-] Adsit Mihi Dei Gratia

De Musica Sacra

Antequam de proposito Themate idest de Musica sacra Graecae Latinaeque Ecclesiae dicere aggredior quod breuiter ac summatim a me fiet peto a uobis Presbiteris caeterisque qui adestis eruditi ac prudentes uiri ut pauca quaedam de me ipso atque huiusmodi studijs praefante, quo purgatior uobis sim comiter benigneque audiatis. Nam cum [[paucis]] aliquot abhinc annos partim publicae utilitatis causa partim ut domesticos luctus multiplicesque meas calamitates honesto aliquo auocamento lenirem rei Musicae facultatem barbaricas clades ac superiorium temporum inscitiam supra quam credi potest respcientem pro tenuissimis ingenij mei uiribus, subseciuis horis [[q]] et a publico munere uacuis expolire aggressus essem, non defuerunt qui siue ingenita quadam [kakopatheia]; siue contradicendi studio siue desperatione emergendi nisi per aliorum clades ac ruinas susceptam hanc a me prouinciam uirulenter prosciderint omnibusque prauis ac subdolis artibus conuellere prorsus conarentur. Quod eo licentius ac peruicacius male feriati homines facere institerunt quo minus hodie eiusmodi facultas frequentatur presertim apud Principes uiros quorum [-<f.1v>-] grauissimae multiplicesque curae, omnem pene aditum se<cre>tioribus eiusmodi studijs ad eos paecludunt: quoque magis nimia mea lenitate confisi crediderunt non ausu<rum> me uel amoliri calumniam uel eorum detegere imp<ro>bitatem atque inscitiam, summa audacia temeritateq<ue> coniunctam. Nam per Deum Immortalem quaenam maior temeritas fingi potest quam ijs de rebus audere iudi<cium> ferre, quarum ne minimum quidem gustum hauserun<t:> quae perinde ignotae ijs sunt ut ea quae apud Indos atque Antipodas geruntur. Quaenam maior improbita<s> quam hominem qui per tot labores sumptus ac uigilias desertissimam prouinciam rei publicae commodo excole<re> conantur; [: ante corr.] immo (uelit nolit inuidia) fructuosissime excoluit; nemini infensum inuidentem; de nullius laude unquam decerpentem ultro insectari, et quam rem laudi uertere debuerant per summam calumnia<rum> uitio uertere? Verum sinamus quaeso huiusmodi nasu<tu>los atque dicaculos fucum ac fumos uenditare ut lub<et> ac sibi ipsis [interea add. supra lin.] labem atque

exitium latenter coquere. Scitum enim est apud Stoicorum Latinorum principem Malitiam ipsam maximam partem ueneni sui bi~~be~~re. Nobis certe ad~~ue~~rsus huiusmodi pocula satis munitum pectus gerimus duplixi alexipharmacis. Recte factorum conscientia et fiducia ueritatis: quae su~~be~~ris [[signum] add. in marg.] instar deprimi potest atque abscondi: mergi at~~que~~ pessum>dari non potest. Sed enim sinite quaeso ut historiol~~a~~ quandam non prorsus insulsam enarrem Auditores Sophoclem illum Atheniensem ferunt, cum ad decrepitam peruenisset aetatem, à nequissimis filiis administratione [-<f.2r>-] rerum suarum prohibitum: perinde ac si repuerascere cepisset; amissaque mente se ipsum tueri ac rebus suis superesse amplius non posset. illum nihil facti indignitate commotum Magistratum adijsse eique ostendisse pulcherrimam eam Tragoediam quae Oedipus Coloneus inscribitur, ijsdem forte diebus a se compositam: tum interrogasse an eiusmodi foetus ab eo cui mens non constaret, prodire potuisset: eaque sola defensione causam obtinuisse. Quo exemplo ego pariter uos Auditores aequissimi ac sapientissimi precor atque obtestor, ut si me alijs in rebus non prorsus hebetem ac socordem agnouistis, ne facile uos persuadeatis usque adeo in hac restitutione ueteris musicae insanire ac nugari, ut tanto cum temporis, tum existimationis meae dispendio, tractantionem hanc a professione mea prorsus aliena, tam cupide aggredi tam pertinaciter tueri uoluerim, si modica quaedam, obscura atque incerta; quaeque uel a nudis praticis, uel a puris theoricis; uel a simplicibus grammaticis, uel meritis philologis praestari potuissent; tantummodo elaborassem. Verum multo aliter res sese habet Auditores. Maximi operis ac momenti sunt quae ad hanc diem e crassissimis extracta tenebrjs uetustatis, in lucem extuli: eaque ab omnibus melioris notae scriptoribus musicis ardenter expetita, et diligentissime conquisita: quamquam uel Graecarum litterarum defectu, uel alias ob causas, in ipsa rei pulcherrimae uestigatione defecerint. Cumque ex hac ueterum Tonorum restitutione musica disciplina [longe add. supra lin.] perfectior, eiusque uis multo efficacior fiat, tum eorum praxis quam monstrauit adeo facilis ac expedita tum in ipso canendi actu atque organorum pulsationibus, quam in diagrammatum [-<f.2v>-] genere Melodico scilicet atque Cromatico, ut qui se non plane hebetem ac stipitem fateri uoleat, unico die uel aliud agens, eam percepturus sit. Dicent fortasse [mousomastiges] nostri. multum distare facta dict~~is.~~ oportuisse iam aliquid in lucem exponi, nouarumque melodiarum specimen quidpiam in hoc communi gentium omnium theatro preberi. neque ijs tantum qui in

cauea ac popularibus; sed multo magis ijs qui in orchestra atque ad podium sedent. atqui id me maxime torquet et sauciat cum non pauca ad hunc diem in publico exposita fuerint et peritioribus quibusque, nec infimi subsellij uiris mirifice satisfecerint, non destiterunt tamen partim [hoi te anaktos en erkesi kydos ekhontes] partim ex eo hominum genere qui non minus fidem ac sententiam quam artem uocemque pretio addictam habent, omnem mouere lapidem, quo Musis nostris ad supremi illius Musagetae adyta accessum praestrueretur. Sed quid misellis hisce homunculis facias, apud quos plus fermè fauoris ac fidei nuper inuenerunt imperitissimi agyrtae nihil ultra [anarmostian] organorum profitentes. quam is qui ueterem Harmoniarum restitutione huius facultatis limites, ut uir cordatus atque omni exceptione maior scripto palam testatur, est qui<n>decuplo ampliamento. Sed minime haec miranda [Nika gar aiei diabole ta kredittona.] Proindè missis huiusmodi quisquilijs ac Musarum reiectamentis ad sacrauientem illam atque augustiorem musicam; quae de caelestibus choris atque odeis; non de furiarum atque harpyiarum latebris prodijt, gradum tandem facimus [-<f.3r>-] atque ex multis quae circa hoc argumentum afferri possent, nonnulla tantum decerpamus, quae ad philologum ac polyhistora proprie spectant. Nam ea quidem quae partim [tekhnikos] partim [politikos] tractari debeent, nec tumultuariae scriptioni, cuiusmodi haec est, nec hisce angustijs satis congruunt: nec non multo aptius opportuniore loco peculiarique scripto, quod iam pridem molimur, recenseri possunt. Musicam esse rem prorsus sacram caelestem atque diuinam, nemo sane diffiteri potest. nam ut Pythagorae illius prisci somnia omittam qui caelorum orbes, dum ratis dimensisque spatijs temporum ac longitudinum uoluuntur, mirificos quosdam concentus edere dictitabat; ac Platonis canoras fabulas sileam, qui Elysijs campis beatorum animas musicis acroamatibus frui scriptum reliquit, testantur diuinae litterae non unis in locis, ac presertim sanctissimus ille Ioannes Theologorum princeps ac magister in arcanis Apocalypseos suae oraculis, caelestem illam aulam eximijs personare canticis quibus Angelorum ac beatarum mentium multiplices choi Deum illum ter maximum agnumque immaculatum, certatim atque incessanter collaudant. Testatur Ecclesiastica historia Ignatium Antiochenae Ecclesiae praesulem ac martyrem sanctissimum, Angelorum choros Diuinae Triadi alternatim concinantes, cum caelestium rerum cogitationibus intentius aliquando pasceret animum, manifesto audiuisse. unde laudabilis ea consuetudo exorta sit apud ueteres Christianos, Dauidicos psalmos, caeteraque eiusmodi cantica [antiphonos] atque

[amoibaios] canendi. Trisagium enim illud eiusque origo notior est, quam ut uobis doctissimi uiri referri debeat [<f.3v>-] Iure optimo igitur inter Militantis Ecclesiae uetustissima instituta sacrarum quoque cantionum celebritas recepta est. siquidem Triumphantis illius (quam imitari quantum potest conatur) exemplar ac magisterium sequitur. Quocirca uetus Hebraeorum Synagoga magnum peritissimorum cantorum numerum aluit qui uocibus atque organis omnium generum circum Arcam Domini uterentur, ac sumtuosissimis sacrificijs ornamentum, dignitatem, ac laetitiam conciliarent. Immo et Dauid ipse Rex sanctissimus ac maximus egregius quippe psaltes in Israel, ut scriptura loquitur, minime grauatus est psalterium siue citharam doctissime pulsans, canticaque lectissima ei consocians, et ante Arcam praeditam ad numerum gradiens, sacrarum caerimoniarum maiestatem augere: aliosque ad canendas dei laudes exemplo suo prouocare. De ueteribus christianis luculenta Plinij Secundi Epistula testatur consueuisse eos antelucanis coetibus Christi Domini nostri laudes decantare. quam consuetudinem etiam inter atrociores quasque Tyrannorum persecutioes, quantum eorum temporum patiebantur angustiae, publice ac priuatim retentam fuisse dubitare non possumus. Caeterum caeleste illi concentus quales sint, nec animus cogitando assequi ualet, nec lingua uerbis exponere. In Hebraeorum uero musica indaganda frustra quis se hodie torqueat: cum omnem eius memoriam iam pridem tempus deleuerit: et uix nuda [[paucorum]] aliquot organorum uocabula supersint in quibus exponendis adeo ut plerumque solent Rabbini ineptiunt ac coecutiunt, ut nec de communibus [-<f.4r>-] quidem ac generalibus notionibus inter eos conueniant: ut com Habla partim inter [organa entata] seu quae fidibus tenduntur. partim inter [ta physeta] seu flatilia recensem; quae communi uocabulo [auloi] a Graecis appellantur. Nam recentiorum modulamina quibus in Synagogis suis indoctissime perstrepunt, eorumque accentiuclitas, quae apicibus Grammaticorum adfinia, dictiones psalmorum notant, rem esse nouitiam ac futilem palam liquet: ut et carminum quas possident species, non ad modulum uariationem Rhythmorum, qualia priscorum Vatum erant, sed ad clausulas [homoioteleton] syllabarum, ut uernaculae solent cantiones, contextae. Quare uel deceptus est Beniaminus Iudeus Geographus: uel alijs fucum facere uoluit, cum aetate sua Bagdati (quae noua Babylon est [()]) urbs inter Mahomethanos percelebris) quosdam suae gentis sacricolas cantica modulari nouisse scribit, sicut olim canebantur cum sanctuarium staret [starent ante corr.]. Omissis igitur recentium Iudeorum nenij (quos miserum in

modum duplex crassissimae inscitiae, ac flagitiosissimae
peruicaciae caligo obtenebrat) sacrorum melodiarum
[[originem]] quae in primaeua Ecclesia canebantur [originem
add. supra lin.] perquiramus. Hercules Buttrigarius nobilis
Bononiensis, atque eruditionis Musicae mini<me ex>pers cum
inter Ecclesiastica [mele], ut quaeque antiquissima sunt
ita pulcherrima ac suauissima esse animaduertisset, idcirco
existimauit uel a decantatissimis illis Graecorum Nomis
desumpta fuisse; uel certe ad eorum exemplar efficta. qua
in re neququam illi assentiri possum. nostra enim
simplicissima sunt et christianam illam priscamque
modestiam redolentia; atque eiusmodi ut sine instrumentorum
subsilio facil negotio uel a medjocribus cantoribus [[cani
possint]] [concini possent corr. supra lin.]. Illa uero
Graecorum artificiosissima; maximeque uaria cum circa
Melos, tum circa Rhythmum quaeque non facile sine organis
longaque exercitatione cantari possent. [-<f.4v>-] Deinde
cum Plutarchus testatur [[in suo illo]] doctissimo de
musica libello, usque ad suam aetatem (immo fortasse usque
ad Constantini Magni [[aetatem]] [saeculum corr. supra
lin.] qum christiana religio [maxime add. supra lin.]
inualuit) Olimpi [Nomous auletikous] siue tibiales in
Graecorum sacrificijs usurpatos fuisse quingentorum fere
supra mille annorum spatio; ijque Enarmonij generis fuerint
quod longe difficillimum est; ac propterea iam pridem ante
illius aetatem [[ab usu recesserant]] [exoleuerat corr.
supra lin.], coniectare hinc licet artificiosissimos cantus
toto eo tempore in uso sacrorum apud Graecos perdurare.
Haud procul uero etiam abest Diuum Ioannem Damascenum, qui
recentiores Graecorum musicas notas inuenisse fertur,
posthabitatis his priscis, miro artificio ac solertia
excogitatis, ideo consilio fecisse ut ueteres cantiones,
quibus inanium Deorum laudes continerentur, paulatim
aboleret: ea prope ratione qua Saraceni cum regnum Persidis
inuaserunt, interdicto Persicarum litterarum usu,
sublatisque Arabicis, non modo sectam propagauerunt suam,
sed patrios Persarum ritus, ac monumenta rerum ab ijs
gestarum quibus se suamque nobilitatem extollebant, sensim
aboleuerunt. Tantum abest ut ueteris Ecclesiae psalmodias
ac Hymnодias a Gentiliu cantionibus profluxisse existimem.
Multo igitur credibilis est (immo in quibusdam certum)
eosmet ipsos sacrorum Antistites. atque utriusque Ecclesiae
Latinae Grecaeque Proceres, non sanctitate solum, sed
omnium liberalium artium peritia insignes, sacrorum cantuum
auctores extitisse Ambrosium Mediolanensem uidelicet,
Athanasium Alexanrdinum, Gregorium Magnum, Leonem secundum,
Vitalianum, Ioannem Damascenum; aliosque permultos. Et

primis temporibus nondum ad Ecclesiasticae disciplinae concordem atque aequabilem normam diuersarum Ecclesiarum [-<f.5r>-] ritibus redactis, multiplex quoque canendi modus hic atque illic uiguisse uidetur: praesertim cum non paucis christianorum Patres in Ecclesiasticis in melesi concipiendis excelluerint. quod Diuus Dionysius de Hierotheo palam testatur. De Ephremo uero Syro illud memoriae proditum est, cum animaduerteret Harmonium Bardesanis filium cantilenis quibusdam a se compositis impietatis uirus latenter admiscuisse; ut suauitate modulationum blandius per aures in animos illaberentur; pari et ipsum arte nouas edidisse cantiones, non suauitate magis quam pietate prestantes. Erat etiam tunc consuetudo promiscue in templis canendi. quam tamen postea Patrum consensus merito damnauit: partim quod lasciuia quaedam paulatim inualuisset: partim quod canendi rudes peritioribus peritioribus obstreperent. Primus illud Isidorus Pelusiota ac Socrates historicus, ut de alijs sileam, diserte ostendunt. is enim in illa canentium turba mulieres nonnumquam extitisse docet; quae nimium lenocinium cantui adluberent: adeo ut delicatis quibusdam uocum flexionibus, multos non tam ad rerum celestium contemplationem, quam ad cupiditatum [cupiditatum ante corr.] incitamenta ([eis erethismon pathematon]) impellerent. Alter uero libro primo capitulo octauo tradit Diuum Athanasium initio quidem suauissimas cantiones excellentemque musicam in sua Ecclesia habuisse: postea uero succrescente Alexandrinorum lasciuia, eam tollere coactum fuisse. Quare quod de illo Sanctus Augustinus libro decimo confessionum scribit tam modico flexu uoci uti uoluisse lectorem psalmi, et pronuntianti uicinior esset quam canenti, de posteriori eo tempore accipiendum uidetur. Quo pertinet quod alicubi memini me legisse, Romaanae Ecclesiae psalmodiam medium obtinuisse locum inter Alexandrinam et Costantinopolitanam; ut ea quidem solutior atque exultantior; hac uero astrictior ac seuerior esset. Ex quibus colligere licet quatuor illas capitales Graecorum Ecclesias [-<f.5v>-] canendi leges inuicem habuisse ualde diuersa. Quod ad alteram uero reformati pertinet, non unis sacrorum Conciliorum sanctionibus promiscuus ille canendi usus sublatuus est: ut in Trullano; quod [boas ataktois kai armostous] uoces inconditas et absonas sapienter prohibuit. nam quod in Laodiceno [idiotikoi psalmoi] uetati fuerint, potius de canticis nouiter atque a rudibus hominibus compositis, quam de Dauidicis passim a populo cantatis acceperim. Quidquid sit ad sacrorum Ministros, id muneris postea translatum est: qua propter quos antiquae Synodi

[psaltas kanonikous] appellant, Zonaras interpretatur [tous en klero tetagmenous] in clero ordinatos siue clero adscriptos. Ex eo discrimine effectum est ut posterioribus temporibus sacri cantores [psaltas] absolute Graeci uocauerint (quo nomine fidicines olim dicebantur) sicuti profanarum cantorum artifices [tragodetas]; et cantilenas ipsas [tragodemata] quo uocabulo Liuthprandus Ticinensis in legatione sua utitur. Ut dubitare iam non possimus quin apud ueteres Tragoediae canerentur. Latini uero sacros eiusmodi cantores frequentius psalmistas uocarunt ut Diuus Isidorus Hispalensis de officijs Ecclesiasticis libro secundo capitulo 12 ubi Psalmistam uoce et arte paeclarum illustremque esse oportere confirmat. Sed haec obuia ac protrita sunt. illud abstrusius. quod Vitalianos quosdam dictos fuisse in Romana Ecclesia cantores qui Summo Pontifice rem Diuinam faciente caneabant: quod a Vitaliano Pontifice musicae peritissimo; et ut ferunt organorum in Ecclesia induendorum auctore, instituti fuerint. Quod Ecterardus Sangallensis monachus scriptum reliquit. Enimuero neque Occidentalis [-<f.6r>-] Ecclesia unicum canendi formam sortita est. nam ut Gregorianam a Magno illo Gregorio expolitam omittam, qua Catholicae fere omnes occidentis Ecclesiae utuntur, uiget adhuc Ambrosianus cantus apud Mediolanenses, ac finitimos populos, a Diuo Ambrosio institutus. Apud Hispanos [In Hispania ante corr.] [[etiam]] [uero corr. supra lin.] cum in Toletana Ecclesia huc usque remanserint reliquiae quaedam illius Ritus quo Christiani sub Maurica tyrannide utebantur Mozarabes seu Mixtiarabes uocabantur) Intonationes quoque peculiares eius ritus saltem in uetustis quibusdam Codicibus supersunt. Quod pertinet autem ad Gregorianum, egregium illius monumentum ac fortasse unicum superest in Bibliotheca Augustiniana huius urbis: codex uidelicet antiquissimus (Graduale inscribitur) et Gregorianae aetati, ut appareat, uel suppar, uel paulo recentior: in quo sacrarum modulationum magna pars; quas Introitus, Antiphonas, et Sequentias uocant, notis conceptae uetustissimis (parum ab his ab ludunt Sancti Ioannis Damasceni, et recentiorum Graecorum [semadia] quae uocantur) et longe ab ijs, quae uel aetate nostra uel Guidoniano saeculo frequentabantur, diuersis. Quem codicem in consilium non adhibuisse non miror eos qui uel nostra uel parentum aetate Antiphonaria emendarunt, ac publicarunt. Sed operam non dedisse, [[et potius]] ut intellegarent, id [uero add. supra lin.] potius mirandum. Quod partim collatione Graecarum notarum partim obseruatione eorum cantorum qui a Diui Gregorij aetate ad hanc nostram (ut exempli gratia Introitum) perdurarunt, non

difficillime praestari poterat. Nam si in corrigendis
priscis scriptoribus uetustissimus quisque codex adhibetur,
cur non idem seruabitur in receptis pridem ab Ecclesia
cantibus ad pristinam [-<f.6v>-] normam reuocandis? Quod
spectat Ambrosianum cantum, mirari satis non possum
Franchinum Gaffurium unum ex Musicae restauratoribus, et
pro sua aetate satis eruditus, in animum inducere potuisse
falsam quamdam concentus speciem, qua Mediolanj in Vigilijs
solennioribus Martyrum, et in Mortualibus Missis utebantur,
a Diuo Ambrosio fuisse institutam. cum antiquis temporibus
Ecclesiasticus cantus (hodie planumuocant) unico tenore
decurreret; hoc est [homophonios] uel [antiphonos]; nec
[Symphoniurgiam seu add. supra lin.] Contrapunctum, ut
appellant, alio modo resipesset: et sapientissimus ille
Antistes (cuius uel dulcissimum eloquium mirabili apum
praesagio praenuntiatum est) in cantu etiam, Guidone ipso
testante, summam dulcedinem adamauerit. Constat ea falsa
concentus species (si quis ad rem pertinere existimat)
toniaeis ac semitoniaeis interuallis cum quaternaria
uariatis. ex quo eius duritiam facile conijcere potestis.
Crediderim potius eorum temporum huiusmodi
[philotekhnemata] esse, in quibus ad ostentandam
architecturae peritiam, turres de industria procumbentes
(quales Pisis et Bononiae spectantur) non modicis sumptibus
aedificabant. Quid mirum igitur si Musica eandem perpessa
sit calamitatem quam reliquae aliae liberales ac nobiliores
artes? Agnouit hoc ac defleuit Guido uir supra saeculi sui
sortem conspicuus; dum hisce uersiculis lusitat. Multa
autem usurpantur nec tenentur regula Quia tempore a multo
desueuit Musica Dum inuidia ac torpor cuncta tollunt
studia. aut ubi Temporibus nostris (inquit) inter omnes
homines maxime fatui sunt cantores. [-<f.7r>-] Sed de his
satis. Caeterum cum maxima semper [fuerit add. supra lin.]
Romanae Ecclesiae Auctoritas in omni Sacrorum [sacrorum
ante corr.] administratione; tum in ijs quae ad
Ecclesiasticum cantum pertinent, non minor fuit. Cum
praeter sacrosantam Apostolici solij potestatem, quae
humana omnia moderatur, et regit, peritissimi Cantores ac
Musici hic semper extiterint, qui pro re nata, aliarum
gentium modulamina temporis lapsu deprauata, ad [[Summae
Ecclesiae normam]] [Magistrae huius sapientissimae normam
ac principium corr. supra lin.] tamquam ad amussim quamdam
redigere possent. Quod ex re in Gallijs gesta, et ab
Echerardo in uita Notcheri enarrata, liquidò constat. Cum
enim Gregorius Magnus Antiphonarium centonem, ut Ioannes
Diaconno loquitur, confecisset; et Cantorum scholam Romae
instituisset, earum modos Galli, Germanique aliaeque

Europae gentes didicerunt: paulatim tamen immutauerunt; siue quod insita leuitate è Gregorianis cantibus multa inuerterent; uel ob naturalem feritatem Diaphoniarum diphthongis ([dialyseis] intelligit syllabarum in geminos phthongos) atque eiusmodi inflexionum ac repercussionum [khariantismois] uti non possent, sed rigidas quasdam atque obstreperas voces effunderent. Cui congruit quod Sangallensis alter monachus in Caroli magni vita ex Varimberto scriptum reliquit; et ex eo Chronicon Engolirmense. Quod tremulas vel collisibiles, vel secabiles voces in cantu non poterant perfectè exprimere franci; frangentes in gutture [[voces]] potius voces, quam exprimentes. Postea vero cum Carolus Magnus Francorum Rex Romae degeret, et Gallicani, ac Romani cantus adnotasset [annotasset ante corr.]; essentque qui dicerent Romanum vitiatum esse; quaesiuit riuus ne an fons limpidiorem aquam praeberet? cum illi fontem dicerent; Nos ergo, subdidit sapientissimus [-<f.7v>-] Rex, qui hactenus de riuo hausimus, ad fontem hunc redeamus Quapropter duo praestantioris Indolis Clericos qui apud Hadrianum Pontificem, Musicae discendae causa reliquit. qua vbi plenè instructos accepit, ad Metensem Ecclesiam allegauit: eâque ratione pristinum canendi morem illuc reduxit; ac totam demum Gall<iam> [[Metensi op]] Metensium opera correxit. Qua in re paternum Pipini exemplum sequutus est pijssimus Princeps: quod ex capitulo 80. libri primi Capitularium constat ut quod ille summa contentione aggressus fuerat, ipse perfecerit. Sed cum lapsu temporis qui Romae instituti fuerant diem suum obijssent, rursu<s> in antiquam canendi inertiam (ut Eckerrardus [Echerrardus ante corr.] loquitur) Gallicanae Ecclesiae relaberentur, et singulae nihilominus incorruptum cantum suum esse contenderent, Iterum inquit Carolus ad fontem reuertamur. Quae postea secuta fuerint dicere supersedeo quomodo videlicet ab eodem Adriano duos alios Clericos non rei Musicae tantum, sed aliarum etiam liberalium artium peritos, Carolus in Franciam accerserit, quorum alter Metensium vrbum adierit, alter apud Sangallense Coenobium occasione morbi substituit, ac Monachos instituerit: qui diù postea rei Musicae studium excoluerunt: vnde in Germaniam latè se effunderit. Utque Romae Antiphonarius Codex [[techa]] theca quada<m> inclusum in publico pr<osta>ret; qui authenticus dicebatur; Quoniam, si quando vsus posceret, ad illum identidem respiciebant: aliaque scitu non indigna: quae a Sangallensibus Monachis accepta, egregius Praesul Rainutius Scottus tunc apud Heluetios Sedis Apostolicae Nuntius mecum humanissime communicauit. Illud silentio non transmiserim quatuor [-

<f.8r>-] quasi gradibus Ecclesiasticum cantum apud latinos processisse: quorum primus Psalmorum, atque Hymnorum melodias continuuisse videtur. Secundus multas alias simplicis cantus species, quae hodieque rei Diuinæ adhibentur, astruxit: ut Antiphonas, Introitus, Responsoria, Sequentias, Praefationes, aliaque eiusmodi: quae magnas successu temporis mutationes suscepent [suscepissent ante corr.]. Vnun earum afferam specimen ex auctore inedito Bibliothecæ Vaticanæ: ex quo liquet ante hos quadringentos vel quingentos annos alio modo, quam nunc fit Responsoria cani consueuisse: Inter Responsoria, inquit, et Antiphonas hoc distat, quod in Responsorijs unus versum dicit; In Antiphonis autem versibus alternant Chori. Moris enim fuit apud Priscos à singulis Responsoria cani; reliquos omnes cantanti respondere [responderent ante corr.] Missarum uerò officium constat in Antiphonis, quae Introitis dicuntur: quae ideo sic vocantur quia introeunte populeo (legendum videtur Papa) in Basilicam, decantentur, et eousque cantio eius pertendatur, quo usque imperturbato ordine tam Pontifex, quam caeteri ecclesiastici ordines secundum suam quisque Dignitatem ingrediantur Ecclesiam, et congruam suscipiant stationem: et quae sequuntur. Tertius gradus Ecclesiastici cantus adiecisse videtur concentum quem vocant extemporaneum (contrapunto à mente) in quo super dictiones [ditiones ante corr.], siue syllabas Antiphonarum, earum potissimum quae ad Introitum pertinent, chorus Symphonetarum varijs consonantijs secundum cuiusque partes, vt vocant saltuatim quo dummodo accinit grato quidem auribus murmure parum, ita me Deus amet, apto ad sententiarum expressionem. Eius origo inter duodecimum ac decimum tertium Christi Nostri saeculum, vt appareat, nec tam publicae auctoritati quam priuatae Musicorum licentiae tribuenda. Quartus denique gradus sequenti vt videtur saeculo operosiores concentus, ac magis artificiosos (Contrapunctum fugatum vocant) [[sacro cantui]] [Ecclesiastica modulationi corr. supra lin.] superaddidit consimili Musicorum [[licentia]] [lasciuia corr. supra lin.] Inodea, atque Ambones templorum subinductos. Laxatis enjm semel, siuè nimia Patrum indulgentia, siuè praua artificum [kainotomia] atque ambitione, veteris [-<f.8v>-] illius ac modestae Musicae claustris, mirum dictu est quot nouae modulationum species, quam fractarum ac mollium; quot multiloquiorum, ac repetitionum portenta; quot mutilationes verborum; quot [kykeones], Battologiae, Hysterologiae cateruatim irruperint: vt vetus illud Graecorum adagium verò verius quotidie appetit, quo Musicam quotannis aliquod nouum monstrum instar Libyæ [Lybiae ante corr.] progignere

dictitant [[multaque]] nouisque in dies sanctionibus (quod in primis sacrum Concilium Tridentinum praestitit) hanc effraenem licentiam cohibere necesse fuerit. Eo igitur tempore coeperunt non Psalmi solum atque Hymni Antiphonaeque verum et Prosodia quaedam (mottettos ipsi barbaro vocabulo appellant) ex sacrae scripturae verbis quoquo modo consarcinatis concini; vocibus modulatis, ac [melesi] multifariam contexti. Possem et quintum gradum ac plures subtexere ob alias multas varietates quas paulo ante hanc aetatem Ecclesiasticus cantus suscepit partim à Monodicis [[cantibus]] [canticis corr. supra lin.] chorodio admixtis; partim a prolixis, et frequentissimis melismatis, quibus ad satietatem usque concentus suos frangunt ac dissolunt. Possem et Dialogismos vernacula lingua contextos, et in Oratorijs frequenter decantatos: Possem et Symphoniarum organicarum primum in Ecclesijs usum, aliarumque eiusmodi origines ad musicam spectantes indagare, si mihi animus esset operosum Commentarium hisce de rebus contexere non modicam atque huic loco ac temporis congruam Dissertationem. Quam vt absoluam, nec abutar diutius patientia vestra illud ad extremum Magni illius Athanasij verbis vobis in mentem reducam; ideo cantum in Ecclesia institutum esse, vt quemadmodum e uocum ac neruorum dispari, sed concordi sonitu grata conueniensque oritur consonantia, ita omnes animi nostri motus et actiones ad suaem Diuinae legis harmoniam [[oportet ut coaptentur]] [coaptari oportere corr. supra lin.]. Nec [[debe [oportere corr. supra lin.]] quemquam a semet ipso dissonare. [Pontij add. supra lin.] Pilatij [Pilatum ante corr.] [[pro exemplo adducens]]: qui cum Innocentem esse Christum fateretur, atque id palam praedicaret, usque adeo tamen [[se <....>]] [secum corr. supra lin.] ip<se> dissensit, ut coiret consilia cum Iudeis ad eiusdem Innocentiae acerbissimos cruciatus. Quo pertinet etiam Dionysianum illud de Ecclesiastica Hierarchia, qui ait pium sacrarum aedium cantum [psukhikas hexeis enarmonios diathesthai]. [<f.9r>-] animi habitus optima atque aptissima Harmonia disponere: Et quod Diuus Ioannes Chrysostomus commentario in Psalmos affirmat Ecclesiasticum cantum [ten psykhen akkaithairein kai metarsion poiein ton logismon] animum expurgare, mentemque nostram ad coelestia attollere. Idemque alibi docet eum esse quanmdam imitationem [tes aggelikes khorostasias] et Clemens Alexandrinus libro 7. Stromatum eundem nos [enopoiein theio khoro] coelesti, Diuinoque choro unire. Quare cum tot tantaeque laudes ac virtutes sint Ecclesiastici cantus, nequaquam is existimandus erit inanem operam ludere, qui in

tanta vetustatis caligine suis laboribus ac studijs aliquam ei lucem afferre conetur.

Quod ut alijs quoque exemplo meo faciendum suadeam, proponam in sequenti Academia explicandum consueti Problematis loco quid sit apud Diuum Augustinum in Retractationibus Hypopsalma illud quod se adiecisse Psalmis profitetur.